



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia  
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De  
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ  
Gratiæ Ad Honesta Opera

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ, 1620**

Cap. VIII. Actum fidei non esse supernaturalem ex accidentali modo  
intrinsicco, seu illi inhærente, & vera assertio concluditur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

Cap. VIII. Actum fidei non esse supernaturalem ex modo accidentali, &c. 383

non potest hęc supernaturalitas consistere in denominatione extrinseca, vt generaliter probatum est. Alias etiam actus fidei humane imperatus ab aliqua voluntate supernaturali, esset tam supernaturalis, sicut assensus fidei infusę, quod falsum esse constat.

11. Deinde non potest illa opinio ad fidem quoad voluntatem credendi accommodari. Duobus enim modis contingit, actum voluntatis esse actum honestum, & virtutis, scilicet ex obiecto intrinseco, vel ex relatione ad extrinsecum finem honestum. Prior honestas ex obiecto non est modus accidentalis in actu inferiori voluntatis, sed est differentia essentialis, & specificę illius. Quamuis enim moralitas, prout dicit denominationem libertatis nō sit essentialis actui quoad eius specificam entitatem, tamen ratio virtutis, & tendentia in obiectum honestum, vt tale est, est differentia essentialis, & constitutiua talis entitatis, vt suppono ex 1. 2. q. 18. Et declarari potest in actu charitatis Dei, nam ex proprio obiecto intrinseco honestas, & studio eius est. Vnde eadem charitas est in via, & in patria, & eandem honestatem habet, licet in via libere exerceatur, & in patria necessario. Constat autem ex supra dictis, voluntatem credendi esse honestam ex obiecto intrinseco, etiam si per aliam imperantem voluntatem ad extrinsecum finem non ordinetur. Ergo si est supernaturalis, vt re vera est, ratione huius honestatis, plane in specie sua essentiali, & non tantum in modo accidentali supernaturalis est. Quod si ultra hanc honestatem ponamus, addi aliam ex intentione finis extrinseci: aut finis ille est naturalis, & sic erit impertinens, quia ex tali relatione non redundabit in actum aliquod esse supernaturale, etiam per denominationem extrinsecam: si vero finis intrinsecus est supernaturalis, sic quidem intentio eius erit actus supernaturalis in specie sua, quia illa intentio habet pro obiecto suo immediato talem finem, & ita erit actus charitatis, vel spei, aut alius similis, & ita erit per se necessaria gratia operans, & cooperans ad talem actum ratione substantię eius, & modi intrinseci dantis propriam speciem illi entitati. Species autem accidentaria, seu denominatio, quę potest inde redundare in voluntatem credendi, quatenus a tali intentione imperatur, est quidem modus supernaturalis accidentalis, & extrinsecus illi voluntati, sed non ab illo habet propriam supernaturalitatem, propter quam gratiam sui effectricem, tanquam principium proximum requirit. Et hic difficultas applicari potest ad omnes actus voluntatis, qui per se sunt naturales, & infusi, quia non possunt illam supernaturalitatem habere a fine extrinseco, nam etiam actibus virtutum acquisitarum communicari potest, sed oportet, vt ex obiectis suis illam habeant, ideoq; non potest esse denominatio extrinseca, sed intrinseca, & specificę honestas, quę ex obiecto sumitur, ac propterea substantialis, & essentialis actui esse debet.

12. Tandem hinc facile refelli potest alius modus gratię, vel supernaturalitatis, qui in his actibus excogitari potest, nimirum, quia procedunt a cogitatione congrua cum ordine ad finem supernaturalem. Quem modum a nemine assertum, vel insinuatum inuenio quoad fidei assensum: quoad voluntatem autem credendi insinuat illum P. Vazq. disp. 186. n. 20. §. Valeant, vbi licet loquatur sub distinctione dicens, *sue assertamus esse supernaturalem quoad substantiam, sue acquisitum, &c.* Satis vero indicat hunc posteriorem modum esse sufficientem, & illo supposito ait, ad illum requiri gratiam congruę cogitationis eo modo, quo ad alios actus bonos virtutum acquisitarum illam exigit. Vnde in disp. 187. de solo assensu fidei dicit esse supernaturalem in substantia.

13. Hęc tamen sententia facile ex principijs positis refutatur. Quia si illi actus tantum vocarentur supernaturales, quia haberi non possunt sine cogitatione congrua, solum essent supernaturales quoad fieri, non

quoad esse intrinsecum ipsorum, quod generaliter refutatum est. Et de assensu intellectus dici nullo modo potest, aliās habitum per se infusum non postulare, est autem eadē ratio de voluntate credendi, quia debet esse eiusdem ordinis, & ad illam in Concilio Arausico. æque gratia postulatur. Item quia, vt supra ostendi, illa cogitatio nō est verum gratię auxilium; imo nec propria gratia, tum quia alias non esset magis supernaturalis in ea sententia voluntas credendi, quam voluntas temperate comedendi; tum etiam quia alias eadem ratione dici posset, assensum ipsum fidei non aliter esse supernaturalem, quam ratione illius cogitationis congruę, & voluntatis, a qua assensus imperatur. Vnde etiam fieret, voluntatē credendi res fidei ex auctoritate parentum, vel traditione humana, si honesta sit, vt facile esse potest, non solum in catholico, sed etiam in hæretico quoad articulos, quos retinet, esse æque ex gratia, ac subinde æque supernaturalem, ac voluntatem credendi fidei Christiana, quia etiam illa erit ex cogitatione congrua.

14. Imo addo, non satis esse, quod illa cogitatio congrua sit ex reuelatione, vel prædicatione verbi Dei supernaturalis concepta, si alioqui sit solis naturę viribus formata, media talium obiectorum propositione, quia tota illa cogitatio non transcendit rationem extrinsecę reuelationis, & doctrinę, & non est propria gratia excitans, quę necessaria est ad voluntatem credendi. Vnde concludo, non minus esse actum supernaturalis ordinis voluntatem credendi, quam ipsum assensum credendi, quia omnes rationes factę æque in vtroq; procedunt, ideoq; in vtroq; est necessarium, vt illud, quo constituitur in esse actus supernaturalis, sit aliquid intrinsecum, & reale, vere, & physice constituens, seu perficiens talem actum.

CAPVT VIII.

Actum fidei non esse supernaturalem ex accidentali modo intrinseco, seu illi inherente, & vera assertio concluditur.

15. Superest videndum, an esse supernaturale talis actus, si aliquis modus realis, extra speciem substantialem actus, eumq; intrinsece afficiens. Nam hoc etiam a multis tentatum est, varijs tamen vijs, quia in nulla satis probabilis ratio inuenta est. Primo ergo dixit Scot. quem Gabr. Palud. & alij sunt sequuti, hęc modum esse intentionem fortasse maiorem, quam homo possit suis viribus efficere in tali actu, vt significat Scotus. Sed non potest subsistere, primo quia in actibus necessarijs ad salutem, nulla certa intentio est necessaria, sed actus quantumuis remissus sufficit, dummodo infusus sit, sicut de contritione alibi ostendi, & est eadem ratio de ceteris. Et de habituali gratia infusa est res nobilissima, eadem autem ratio est de dispositione ad illam; at vero modus ille, quem significant Concilia, quando dicunt *sicut oportet*, est necessarius ad salutem; ergo non est intentio. Præterea intentio actus est eiusdem ordinis cum actu, quod in omni qualitate verum est: ergo si substantia actus est naturalis, etiam intentio naturalis est: ergo sicut ad substantiam actus non est necessaria gratia, ita etiam nec ad illum modum erit. Quod si quis dicat, illam intentionem esse maiorem, quam ille actus natura sua postulet. Hoc in primis voluntarium est, & præterea per maiorem conatum naturalem cum maiori concursu ordinis naturę posset talis intentio fieri; habitus autem supernaturalis parum, aut nihil deseruiret ad illam intentionem: ergo supernaturalitas actus non consistit in illa intentione.

26. Huic similis erit modus durationis, si quis fingat, ad credendum, sicut oportet non satis esse, elicere actum, sed etiam durare, vel perseverare in illo, & hanc durationem non posse viribus naturę fieri, ideoque ad illam esse necessariam gratiam; & actum eum talem

Re jectur.

modo supernaturalem censeri. Similem enim opinionem habuit Scotus de actu contritionis; videtur autem esse eadem ratio de reliquis. Veruntamen sicut in contritione falsa est illa opinio, ita etiam in fide, & in quolibet actu virtutis infusa, potestque facile argumentis proxime factis impugnari. Primo quia duratio actus non est necessaria ad salutem, neque ad iustificationem, vt de contritione late suo loco ostendi, quia vel actus, cum primum fit, est, sicut oportet ad salutem, & tunc statim habet effectum suum, vel iustificationem, vel meritum argumenti gratiæ, vel gloriæ. Si vero actus in instanti, quo fit, non est, sicut oportet, etiam si per annum duret, nunquam erit, sicut oportet, nisi in se melior fiat, quia ratione solius durationis non fit melior, nec conuertit animam melius in Deum. Et præterea hic magis vrget secundã ratio supra facta, quia duratio est tam naturalis, sicut substantia actus; imò in re nihil addit actui, sed solum dicit perseverantiam, seu conseruationem eiusdem entitatis. Vnde ex hac parte nullum augmentum in virtute actiua requirit, sed solum perseverantiam eiusdem virtutis. Hæc autem perseverantia non fingitur diuturna multiplicando actus, & vincendo difficultates longo tempore occurrentes, hoc enim neque in ipsa contritione cogitatum est, nec potest in illo actu cogitari, quia quæritio de perseverantia illo modo sumpta, est longe diuersa, & non est de bono actu, sed de plurium multiplicatione, & de victoria contra varias tentationes insurgentes, de qua re nunc non tractatur, sed de singulis actibus, & de vniuscuiusque duratione, seu continuatione per aliquod tempus; ideoque qui talem durationem requirunt, non dicunt, esse longi temporis, sed alicuius brevis morulæ, quæ non potest actui tantam addere difficultatem, vt propter illam sit semper necessarium auxilium speciale gratiæ ad singulos actus, vt illud Concilia postulant.

3.  
3. opinio.

Alij ergo dixerunt, illum modum esse facilitatem actus, nam ad hunc modum solet dari habitus, & gratia, vel est habitus, vel aliqua motio supplens actiuitatem eius. Ita dixit Durandus agens de fide, in 3. d. 23. q. 6. alibi vero alios modos addit. Capreolus etiam dixit, habitum infusum requiri propter promptitudinem, quod fere idem est. Hæc vero opinio, si exclusiue, & præcise intelligat, solum facilitatem esse modum, propter quem gratiæ operatio ad hos actus necessaria est, omnino reijcienda est. Nam & in Theologia, & in Philosophia continet errorem. Primum patet, quia Pelagius etiam admittebat gratiam ad facilius operandum, & nihilominus ab Augustino, & Concilio damnatus est. Quia Christus non dixit, *Sine me difficilius potestis facere, sed nihil potestis facere*, & Paulus, *Non sumus sufficientes*: ergo gratia non solum dat facilitatem operandi, sed etiam potestatem. Et hanc differentiam agnoscunt communiter Theologi inter habitus acquisitos, & infusos; quod priores dant tantum facilitatem, posteriores vero dant etiam potestatem. Error autem philosophicus declarat magis hunc, quem Theologicum vocamus; consistit autem in hoc, quod illa opinio supponit facilitatem actus esse aliquem modum realem, & absolutum intrinsecum ipsi actui, quod profecto intelligi non potest, quia in his actibus immanentibus, qui in instanti fiunt, facilitas non consistit in maiori velocitate, sed in hoc solum, quod cum paucioribus impedimentis, vel cum maiori virtute actiua fit actus, & hoc modo habitus acquisitus dat facilitatem, quia supponit sufficientem potestatem ad actum, & auget illam addendo actiuitatem eiusdem ordinis: gratia vero nõ supponit sufficientem potestatem ad actum fidei, sed dat illam, & ideo non auget virtutem actiua naturalem, sed eleuat illam. Idem ergo facit auxilium gratiæ, quando supplet vicem habitus. Ergo modus actus, propter quem datur tale auxilium, non est, vt facilius fiat, sed est aliquis alius, ad quem faciendum est sim-

Re jectur.

pliciter necessarium gratiæ auxilium. Accedit tandem, quod si actus in se est naturalis, etiam facilitas eius ad ordinem naturalem pertinebit, & ita posset illa facilitas per frequenter actus naturales comparari, & sic non esset gratia simpliciter, & per se necessaria etiam ad illam facilitatem, nec etiam habitus infusus erit necessarius, quia habitus acquisitus ad facilitatem sufficit. Nec refert, quod primi actus cum aliqua difficultate fiant: nam etiam nunc, licet cum gratiæ auxilio fiant, non sine magna difficultate facillime fiunt.

Tandem dici potest, hunc modum non esse eiusdem rationis in omnibus actibus, sed in quocunque reperiri iuxta capacitatem eius, & ita in fide esse magnam quandam certitudinem, in dilectione vero, quod sit super omnia, & sic de alijs. Et sic de fide sentit etiam Durandus in 2. dist. 28. qu. 1. Gabr. in 3. d. 23. Capreol. & Hispalens. 3. d. 24. Qui etiam cum Durando addunt modum discrete assentiendi, id est, recte discernendi inter veritates credendas, & errores. Veruntamen quod ad fidem pertinet, hic modus autem accidentaliter esse non potest, sed essentialiter, aut ad rem declarandam nihil deseruit. Probatur primo de certitudine: nam vel est sermo de sola certitudine ex parte subiecti voluntarie adherentis tali assensui, & hæc certitudo de se supernaturalis non est, nisi supponat aliam meliorem, nam vt supra declaratum est, hereticus habet illam certitudinem in articulis, quos credit, pro quibus etiam mori paratus est: imò etiam interdum in suis erroribus habet similem pertinaciam. Oportet ergo, vt sit sermo de certitudine, quæ actus ex se habet ratione motiui, in quo fundatur, talis autem certitudo essentialiter est, & inseparabilis à tali actu, quia fundatur in primario, & formali obiecto eius. Idem plane est de modo discrete assentiendi. Nam illa discretio, prout intelligitur in ipso actu assentiendi per fidem, non aliter conuenit illi, nisi ratione obiecti formalis, quod est prima veritas, propter quam non potest illi assensui subesse falsum, in quo consistit, quod ille actus sit semper ab omni errore discretus. Si autem intelligatur illa discretio antecedens ad assensum, illa non est modus intrinsecus ipsius fidei, sed prouenit vel ex voluntate credendi, quæ si sit sicut oportet, id est supernaturalis, & ex auxilio, ac directione Spiritus Sancti, semper recte eligit obiectum sufficienter propositum sub diuino testimonio, & ideo semper eligit veram fidem, vel certe pertinet ad illam prudentiam, & discretionem, quæ antecedit voluntatem credendi, & dirigit illam, ne errorem pro veritate eligat: quod iudicium semper est etiam supernaturale ratione alicuius illuminationis, & inspirationis diuini, & naturalis originis, vt ex definitione Concilij Arausiaci supra relata colligitur, & ex frequentibus locis Augustini, præsertim libr. 1. de Grat. Christi cap. 24. & libr. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 34. & 35. & tract. in 6. cap. Ioan. vbi sic ait: *Hæc si ab hominibus audierunt, tamen quod intelligunt, intus datur, intus coruscatur, intus reuelatur*. Et similia habet Prosper libr. 1. de vocat. gent. cap. 2.

Relinquitur ergo nullum esse modum accidentalem in actu fidei, quo possit in esse supernaturali primo constitui, ac proinde esse supernaturalē per suam primam, & essentialē entitatem. Idemque probatum manet de voluntate credendi, idemque ob eandem rationes infra dicemus de actibus spei, & charitatis. Erratio omnium est, quia formalia motiua, in quibus hi actus nituntur, superant ordinem naturæ, & vires naturales liberi arbitrij, vt cap. 6. late explicauimus.

Atque ex hac veritate sic demonstrata colligitur, quæ qualis sit necessitas gratiæ ad hos actus, est enim necessitas per se, & non tantum per accidens. Quæ verba nota esse possunt ex dictis in præcedenti libro. Ibi enim diximus, necessitatem auxilij gratiæ ad actus ordinis naturalis, esse quasi accidentariam ex defectu natura-

4.  
4. opinio.Imaginatio  
primo in  
actu intel-  
lectu.5.  
Concluditur  
veritas con-  
tra modum  
quemdam  
accidentia-  
lis, &c.6.  
1. Coroll. 2.  
d. 14.

Et natura lapsæ, seu ex rebellionē concupiscentiæ, & alijs difficultatibus, quæ ad corpus corruptibile consequuntur: in his autem actibus non est huiusmodi, sed per se est necessaria gratia, quia liberū arbitrium creatum per se est impotens ad hos actus, & ita necessitas gratiæ fundatur in intrinseca substantia, & natura talium actuum. Ideoq; inuenitur in omni statu, & in omni natura creata, vt ex dictis satis constat.

Secundo infertur, gratiam requiri ad hos actus vt principium per se, & physicum illorum, in quo etiam est magna differentia inter hos actus, & naturales. Nam ad naturales gratia solum iuuat moraliter, illuminando intellectum, & excitando affectum, & tollendo impedimenta; ad hos autem actus maius adiutorium necessarium est. Ratio autem est clara ex dictis, quia ad actus naturales habent potentiæ efficientes vires physicas, ad hos autem actus minime, & ideo indigent superiori principio eleuante illas, & dante vires ad eos eliciendos, etiam per se, & physice. Vnde necesse est, vt ad hos actus Deus per se concurrat, non tantum vt prima causa agens vt concursus generalem, sed etiam vt causa particularis, & principalis, vel immediate, vel saltem infundendo aliquod principium proximum per se, & physicum talium actuum simul cum intellectu, vel voluntate, vt infra tractando de auxilijs latius dicetur. Per hoc autem non excluditur concursus etiam Dei vt primæ causæ ordinis etiam supernaturalis, quia hic semper est necessarius propter dependentiam essentialē omnīs entitatis creatæ à Deo, vt dicitur libro quinto. Denique non etiam excluduntur morales concursus gratiæ per illuminationem, & inspirationē supernaturalis ordinis, nam hic modus adiutorij gratiæ necessarius est, vt definiunt Concilia, & fundatur etiam in supernaturali substantia talium actuum, quia non potest intellectus noster, aut voluntas ad illos conari, nisi per huiusmodi auxilia diuina excitetur, vt tradunt Concilia, præsertim Concilium Tridentinense sextæ, canon 3. & inferius tractando de auxilijs latius explicandum est. An vero gratia habitualis semper debeat præcedere saltem ordinē nature ad huiusmodi actus, postea disputabitur. Nunc quod ad fidei actum pertinet, certum est, gratiam habitualem sanctificantem non esse necessariam, quia fidei actus potest esse in peccatore, de habitu autem fidei simul cum alijs, infra suo loco generaliter dicendum.

8. Tandem ex hac solutione colligimus, non posse eundem actum numero esse acquiritum, & infusum, vel simul, vel successiue, cuius oppositum sentiunt omnes fere authores, qui putant, actum infusum esse naturalem quoad substantiam, præsertim Gabriel, & Ochamus. Qui loquentes de actu fidei dicunt eundem actum simul esse fidei infusæ, & acquisitæ, eumq; prius esse posse solius fidei acquisitæ, seu mere naturalem, & non infusum. Loquunturque consequenter, quia potest esse substantia actus sine modo accidentali, vnde fit etiam, vt possit esse simul naturalis, & infusus, quia potest habere substantiam cum modo: non tamen dicere possunt, dari actum pure infusum, quia non potest esse modus accidentalis sine substantia, & aperte Gabr. explicat, non posse esse fidem infusam sine acquisita. Eademque sententiâ sumit ex Scoto, & Caietano loquente de contritione. At in nostra sententiâ hoc vltimum non solum contingere potest, sed etiam est necessarium in actibus per se infusis, nam in illis substantia eorum, & prima, ac essentialis species est supernaturalis, & ideo omnis etiam modus, qui ad illam sequitur, est supernaturalis, & ita totus est tantum supernaturalis. Duo autem prima sunt possibilia, vt in corollario diximus. De primo patet, quia non potest eadem entitas simul esse in duabus speciebus substantialibus, sed fides acquisita essentialiter est in tali specie entis pertinentis ad ordinem nature; fides autem infusa essentialiter est in altiori specie, & ordine rerum; ergo non potest simul idem actus numero quoad entitatem simul esse in vtraque specie. Vnde fingi non potest, quod intellectus simul, & vno actu assentiatur eidem veritati ex motiōe fidei infusæ, & acquisitæ, quia non potest idem actus accipere ex illis motiuis duas species æque primas, quia hoc repugnat, vt dictum est, nec vnā essentialē, & alteram accidentalem, tum quia non est maior ratio de vna quam de altera, tum etiam quia vtrumque motiuum sufficit constituere suam speciem entis.

Et eadem ratione non possunt quasi coniungi simul ad dandam vnā speciem actui, quia sunt obiecta primo diuersa, & distincti ordinis, & non coniunguntur ad constituendum vnū formale obiectum, à quo possit vnā species actus sumi. Nec etiam potest vnā simplex entitas simul esse naturalis, & supernaturalis in specie substantiali. Vel ergo illa species est naturalis, & sic supernaturale motiuum, vt tale est, nihil illi confert, vel est supernaturalis, & tunc naturale motiuum illam non attingit, nec supernaturalis fides à tali motiōe potest per se pendere; nullo ergo modo potest simul idem actus esse in vtraque specie acquisitæ, & infusæ fidei, seu virtutis. Et eadem ratione nec successiue potest id contingere in actibus per se infusis, quia mutata specie essentiali, & substantiali, mutatur tota entitas actus. Item quia si idem actus possit transire à naturali in supernaturalem, vel è contra, oporteret aliquam entitatem subterni vtrique rationi; ergo illæ rationes essent accidentales actui, quod est contra hypothesin, qua statimus, actus per se infusus substantialiter esse supernaturales. Et præterea de illa entitate substrata inquiremus, in qua specie fit, & vnde illam sumat, seu ex quo obiecto, & an sit naturalis, vel supernaturalis, nihil enim in his omnibus potest dici probabiliter: est ergo impossibilis talis entitas actus, quæ successiue fiat naturalis, & per se infusa.

9. Prograditur proximo pro. 110.

CAPVT IX.

Fundamenti prioris sententiæ satis fit.

Superest, vt argumentis prioris sententiæ in cap. 4. à num. 11. potius respondeamus. Primum erat, ad 1. arg. 12. quia repugnat, actum esse vitalem, & esse quoad substantiam supernaturalem. De quo puncto multa dixi in p. tract. 2. lib. 2. c. 8. tractando de visione. De qua dubitari non potest, quin sit actus quoad substantiam supernaturalem: hoc enim nec illi Theologi, qui de actibus viæ aliter sentiunt, negare aui sunt, vt supra ex Durand. retuli, & videre licet in Caietano. 2. 2. q. 171. art. 1. ad 3. & Soto in 4. d. 49. q. 2. art. 2. concl. 5. & communis sententiâ Theologorum docet, visionem illam ita esse in se supernaturalem, vt nulli intellectui creato possit esse connaturalis. Et nihilominus visio illa actus vitalis est, cum constituat beatum videntem, & cum in illa consistat vita æterna, iuxta verbum Christi. Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum. Non ergo repugnat actui vitali esse in substantia supernaturalem. Vnde etiam non repugnat, huiusmodi actum elici à potentia vitali: nam etiam illa visio ab intellectu elicetur, vt contra Durandum, & nonnullos alios cum D. Thoma, & alijs grauioribus Theologis eodem loco docui, quia influxus actiuis potentie vitalis est de intrinseca ratione actus vitalis, vt vitalis est, & omnino necessarius, vt formalem effectum suum tribuat potentie vitali. Sicut ergo in illa visione possunt illa duo coniungi, ita etiam poterunt in actu fidei, vel amoris viæ. Idemq; argumentum fieri potest de actu prophetiæ, de quo D. Thom. 2. 2. q. 171. art. 2. ad 3. dixit, esse supernaturalem quoad substantiam, manifestum tamen est,

Ad 1. arg. 12. cap. 4. n. 11. 10 annis. 17.

